



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XLII. Efficacissimum esse modum Orandi per Meditationes, Affectus, &
Colloquia cum Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

*MAGNI MOMENTI AC TY-
tissimum esse modum orandi per Medita-
tiones affectus, & Colloquia cum
Deo; ac proinde omnibus esse
proponendum & com-
mendandum.*



E, quæ proximis capitibus dixi-
mus, occasionem præbeant mi-
noris faciendi ordinariam &
tritam Sanctorum viam circa
mentalem Orationem; nec vl-
lus autoritate propria audeat
imites ac terminos ab antiquis
Patribus nobis præscriptos transgredi: necessa-
rium existimaui: valdeque utile; summam quan-
dam facere præcipuarum rationum quæ confir-
mant, & extollunt Orationem per mentis ratio-
cinationes, ac meditationes circa mysteria diui-
na cum Sanctis affectibus, petitionibus, & col-
loquijs cum Christo D. N. ad quæ illa mouent; &
impellunt nostram voluntatem.

Sic itaque prima & fundamentis ratio, quod
cùm proprius & immediatus Orationis menta-
lis (quæ opus est intellectus nostri, fidei lumine
illustrati) finis sit, supremam illam cognitionem
assequi; de qua Christus D. N. dixit æterno suo
Patri: *a hac est vita aeterna, vt cognoscant te. solum
Deum verum, & quem misisti IESVM Chri-
stum filium tuum: certum est, neminem posse in
hac*

a Ioan. 17. 3.

de vita perfectam æternæ participationem
 quam beatitudinem inchoatam appellant) con-
 sequi, nisi per contemplationem perfectam, in
 qua excellentissima & suprema hæc duo obiecta
 Deus qua Deus, & Christus verus Deus, & ho-
 mo) cum ea claritate perspiciuntur, quæ simul
 cum fide esse possit. Et quamvis Deus ex sua
 speciali gratia infundat interdum huius cogni-
 tionis magnitudinem & claritatem, non præmis-
 sa ex parte hominis diligentia: est tamen præsum-
 ptio temeraria, & censetur tentare Deum, qui
 tale donum speret, aut petat, non præmissis dili-
 gentijs, quas idem Dominus iubet, tanquam di-
 spositiones ad illud consequendum. Hæ autem
 (vt Sanctus Thomas ex Sancto Augustino, &
 Sancto Bernardo in Scala spiritali dixit) sunt
 Lectio, Meditatio, & Oratio: legendo scilicet
 scripturam diuinam, in qua est vita æterna; & li-
 bros pios Sanctorum, vbi illa declaratur; medi-
 tando attentius diuina mysteria, perscrutando
 & penetrando ad profunda eorum, ac mente ab
 alijs ad alia discurrendo, vt melius illa capian-
 tur; & orando & petendo à Deo lumen ad ea be-
 nè intelligenda. Ac propterea saluator ipse suis
 discipulis dixit: *b petite, & dabitur vobis: qua-
 rite & inuenietis*: ignauus enim aut arrogans,
 qui non vult petere: non est dignus accipere;
 & qui non querit, non inueniet; & nisi pul-
 set, non aperietur ei. Necesse itaque est, vi-
 rum Christianum fidem suam excitare, animæ-
 que potentias applicare, ac lectione, medita-
 tione, & oratione, quotidie laborare, vt voti sui
 compos fiat.

HVIC

2.2.q.189.

Art. 3. in

Corpo. 6.

art. 4.

b Matt 7.7.

Luca. 11. 9.

HVIC Dei Christiue cognitioni coniungen-
da est sui ipsius cognitio, miseriarum, & peccato-
rum suorum, & gravitatis eorundem: quæ etsi
adeò sit homini propinqua, non tamen obtine-
tur, nisi quis per meditationem in se ipsum in-
grediatur, expendatque omnia damna, & pericu-
la, quibus expositi sumus, & quæ nostris peccatis
sumus promeriti. Necesse etiam est ratiocinatio-
nis oculos, ad ea extendere, quæ in morte & iudi-
cio particulari & vniuersali euenient; ac simili-
ter cogitatione descendere ad intuendum, quid
in Inferno & purgatorio agatur; ascendere verò
ad ea in cælo videnda, quibus beati perfruuntur.
Quæ omnia, secundum ordinariam legem & viam,
non obtinentur nisi per meditationem: quæ clau-
sus hosce libros explicat & aperit, ad occulta in
eis contenta perpendenda. Et quamuis S. Augu-
stinus in sua Oratione ad Deum clamaret: *Domine
nouerim te, & nouerim me*; non tamen sola
petitione contentus erat, ut speraret, Deum de-
plicem illam cognitionem sibi infusurum; sed la-
borabat suis meditationibus, ut illas assequere-
tur; & reliquit libros de eis; ut, qui non possunt,
aut per se ipsos non nouerunt meditari, defectum
hunc suppleant lectione eorum, quæ alij sunt me-
ditati: facientes quodammodo propriam medita-
tionem ex aliena. Ad hæc præcipuus Orationis
mentalis finis est, voluntatem permouere ad no-
biles illos actus exercédos, quos dicimus affectus
amoris Dei, doloris peccatorum, resignationis
propriæ, & alios similes. Quamuis enim Deus no-
ster tanquam voluntatis nostræ Dominus, possit
illam, vehementibus suis inspirationibus vel in
momentu

momento permouere: ex lege tamen ordinaria, vult hominem, mentis discursibus ac meditationibus voluntatem suam impellere, & allicere ad res illas sanctas, quas meditatur. Nam qui non aliud facit, quàm accedere ad ipsam Orationem, relinquens Deo, vt ipsum moueat: facillè inueniet se deceptum; & nisi ad aliquid seriò cogitandum se applicet, totus erit distractus, aridusque manebit; tempus amittet, & erit ociosus. Nam quemadmodum necesse est ligna ordinatè componere, & ad prunas exsufflare, vt ignis accendatur, & flamma exciteretur: ita necesse est lectione, & meditatione veritates cumulare diuinorum mysteriorum; & exsufflare, prunasq; piorum desideriorum irritare, quæ nos ad Orationem habendam impulerunt: vt magnus ignis amoris Dei, contritionis, aut aliarum virtutum accendatur. Quam ob rem S. Basilii, cum dixisset, bonum affectum consistere in vehementi quodam Deo placendi desiderio, cum firmitate & constantia, addit: eum affectum generari per meditationem & considerationem diuinarum perfectionum ac beneficiorum, quæ accepimus à Deo.

*Regula 137:
ex Brenio.*

ACCEDIT, quod orare, propriè sit loqui & conferre cum Deo de negotio nostræ salutis. Et quamuis Spiritus sanctus sit, qui doceat nos *c. Rom. 8 26* *genitibus inenarrabilibus postulare*; & animæ lingua (vt S. Bernardus ait,) sit ipsa Deuotio, sine qua *Serm. 45 in Cant.* nemo potest cum verbo diuino colloqui: de lege tamen ordinaria huiusmodi deuotio (vt ait S. *2. 2. q. 82. Art 3.* Thomas) non habetur, nisi per meditationem, aut contemplationem: cum autem hæc sit paucorum: deuotio ordinariè oritur ex medita-

li

tionem,

tione, quæ etiam docet, & ostendit, quæ sint à Deo petenda; & rationes, ac titulos ad impetrandum afferendos; oblationes Deo offerendas: educendo hæc omnia ex ipso mysterio & meditationis argumento: ac propterea ut vocalis Oratio attentior magisque deuota sit, multum refert si aliqua eam præcedat meditatio; eritq; fructus eius copiosior, si intellectus, sensum penetret, & assequatur verborum, quæ orat.

Ex his desumitur alia valde efficax ratio: nam præcipuus Orationis mentalis fructus est morum reformatio; vitiorum ac passionum mortificatio, & virtutum omnium exercitatio: qui tamen fructus, est dispositio ad perfectam contemplationem; in qua ratiocinationes illæ ac discursus cessant; & originem suam ducit ab ordinaria Oratione, quæ meditationibus innititur, ut dictum

2.2.4.180.

arist.2.

In q. 182.

art. 1.

est. Nam (ut S. Thomas ait) virtutes morales, quæ passiones nostras compescunt, sunt dispositiones ad perfectam contemplationem necessariae. Et Cardinalis Caietanus, eiusdem Sancti commentator, id ampliùs explicat præclaris hisce verbis:
 » Notent tamen, qui alios in via Dei instruunt, ad
 » profectum spirituale, & diligenter efficiant, ut
 » prius in vita actiua exerceri faciant, quos edocet
 » seu instruunt, quàm ad contemplationis fastigium
 » suadeant. Oportet siquidem prius passiones domare
 » habitibus mansuetudinis, patientiæ, &c. liberalitatis,
 » humilitatis &c. & sedare, quâ ad contemplatiuam vitam
 » ascendere. Et ob defectum huius, multi non ambulantes,
 » sed saltantes in via Dei posterunt, quam multum
 » temporis vitæ suæ contemplationi derunt, vacui
 » virtutibus inueniuntur impatientes, iracundi,

cundi,

cundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur. Et pro-
pterea tales, nec actiuam, nec contemplatiuā, nec ex
utroque compositam habuerunt, sed super arenā
fabricarunt. Et utinam non sit frequens defectus
iste: Hæc Caietanus quæ sunt S. Gregorij, Bernar-
di, Isidori, aliorumque Patrum & spiritus Magi-
strorum doctrinæ valde conformia.

lib. 6. Moral.

c. 27. Serm.

48. in Cant.

lib. 3. de sum.

Bono. c. 15.

d Psal. 76 7

NECESSARI igitur est, ut omnes per meditatio-
nem attēdant vitiorum suorum radices, eorumque
remedia inuenienda; eaque cogitent, quæ voluntatē
ad ea applicanda alliciant, ut à suis vitijs perpur-
getur, iuxta illud Davidis: *d Meditatus sum nocte
cum corde meo, exercitabar, & siopebam spiritum*
meum: Ex quo fit, ut qui Orationi quietis & silētij
se dedūt, non iacto prius hoc fundamētō, & absque
speciali Dei motione, vitam ducāt infructuosam,
utpote debili, aut falso innitentē fundamento; ut
propterea eorū Oratio: otiositas potius & spiri-
tus remissio appellari debeat: accidit. n. illis quod
auiculis ē nido suo ante tēpus prodeuntibus: quæ
neque in altū volare, neque ad ipsū nidū redire valēt:
ideoque in terrā lapsæ vitā amittūt: ita hi, nec rectē
meditari norūt, nec in Dei cōspectu quieti cōsiste-
re; sed sēper in cogitationib. terrenis vagātur, eo quod
tērarint ante tēp^o ad sūmū spirit^o culmē p^oolare.

EST QUARE hoc adeo verum, ut ipsi met, qui ad
quietis Orationē cōscenderūt, opus sit non obli-
uisci & omnino deferere exercitium meditandi, &
aliquid de mysterijs diuinis cogitandi: eō quod fauor
& motio Dei, quæ illos ad tantā quietē exaltauit,
sæpe cessat: ut tūc necesse sit, ipsos potētijs suis o-
perari: nō. n. esse debēt tāquā naues minētioris la-
bri, quæ nō nisi vēto moueātur; sed quasi triremes,

Ii 2

aut

auxparuæ naues, quæ, ventro deficiente, remis impelluntur; vtroque verò deficiente, immobiles manent quasi in malacia: ita, inquam, vento specialis diuinæ motionis cessante, & non adhibita cooperatione, & industria nostrarum potentiarum, manerent otiosæ, & hærentes in via sua spiritali.

PRÆTEREA, cùm sit æquum in mentali Oratione omnes conformari spiritu Ecclesiæ in festis; quæ illa celebrat, Christi Domini, & Sanctorum eius, nisi vsus adsit meditationis horum mysteriorum, non aderunt, nec percipiuntur interna de eis sensa; nec materia ad colloquendum cum spiritu de eo, quod in pia meditatione non sensimus: nisi forte aridè, vt solent Iurisperiti ex solo studio loqui: quare, quos ipse Deus per hæc adeò excelsæ Orationis viam deducit, illustrare solet diuina sua luce ad hæc ipsa mysteria in talibus festis contemplanda: quod signum est, placere Deo, vt reliqui, per ordinariam viam ambulantes, ratiocinentur ac meditentur circa eadem mysteria.

ITEM, quod maxima nostra refert in hac vita sunt solidæ firmæque virtutes, vt sint diuturnæ nec ventis tentationum, aut varijs internis meditationibus moueantur: qui autem solis teneris affectibus, & suauitatibus Orationis (quæ dicitur quietis) innituntur, solent esse parum firmi, nec diuturni: eò quod sensibilis deuotio tenerque affectus facillè mutetur & euanescat. Ac propterea S. Bernardus Eugenio Pontifici dixit: *noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est*, eò quod facillè soleat in contrarium mutari: quare virtus illa firmior

mior ac solidior est, quæ innititur viuis rationi-
bus ligantibus & conuincētibus intellectum, quæ
lance sua deceptionem retegunt, veramque ipsius-
met virtutis opinionem & æstimationem adfe-
runt. Et quamuis Oratio extraordinaria, quam
Deus ipse largitur, secum adferat huiusmodi ra-
tiones ac refectiones: ordinaria tamen lege illæ
non obtinentur, nisi profundis meditationibus
myfteriorum fidei, quæ sunt fodinæ & fontes ex
quibus illæ eruuntur.

DENIQUE qui de Oratione agentes virtutes
quærent quibus Deus & Euangelica perfectio ho-
noretur, meritò habere debent animum à pro-
prijs consilijs ac iudicijs valde exutum, ac expe-
ditum; nec præscribere Deo tempus visitationum,
& misericordiarum suarum. Quare suspecta res
esse debet, si quis generalem aliquam Regulam
constituat, quòd scilicet, qui talem, aut talem ad-
hibuerit diligentiam, per tot annos, aut menses,
talem à Deo fauorem, aut virtutis gradum sit cõ-
sequuturus. In qua re ab aliquibus notatur Cassia- *Colla. 12. c. 15*
nus, quòd præscripserit tempus aliquod ad Casti-
tatis perfectionem obtinendam ei, qui adhiberet
diligentias ab ipso ibi indicatas. Hoc enim non
tam consistit in industria, arte, aut tempore, cum
sit opus gratiæ & peculiaris Dei providentiæ,
qui unicuique diuidit pro vt vult, & quando vult.
Quare Orationis & virtutis exercitium incipien-
tibus, plurimum refert, ordinariam tamenque
viam tenere, & feruenter cooperari ex parte sua
ordinariæ Dei directioni & gratiæ, remotis im-
pedimentis, & præscriptis medijs adhibitis: de-
positis curis & anxietatibus profectuum, per vias

Extraordinarias, quos profectus meritò committent providentiæ Dei, ut pro suo libitu dirigat, ac disponat quod magis expediet: suam interim stationem non deferentes, donec audiant: *amice, ascende superius.*

Ex dictis colligitur, omnes, qui dedunt se Orationi, siue sæculares siue Religiosos, quod in ipsis est, inchoare ac progredi debere per viam hanc meditandi ordinariam, donec Deus D. N. illos vocet, & ascendere faciat speciali vocatione ad alium modum excelsiorem: quæ vocatio statim atque innotescit, admittenda est, utrumque enim extremum est valde perniciosum: tam illorum, qui absque hac vocatione, temere aggre- diuntur, quod suas superat vires: quàm illorum, qui diuinæ vocationi resistunt, quando eis constat, Deum illos speciali alia via velle deducere. cuius rei iudicium erit apud prudentem & expertum spiritus Magistrum, cui ex Officio incumbet, benè examinare & intelligere speciales vias, per quas spiritus Domini suos deducit ser- uos; eosque ab eis non abducere; sed ut rectè ten- dant, & cum fructu progrediantur iuuare: nam in ipsarum meditationum via solet esse etiam ma- gna varietas. Quosdam enim Dominus noster de- ducit per meditationes rerum terribilium, quæ scilicet timorem incuriunt; alios per meditatio- nes vitæ, passionisque Saluatoris, aut beneficio- rum diuinorum; alios denique per alias, faciens vnumquemque maiores motus, sensusque in his quàm in illis percipere; & in eisdem oportet il- los iuuari: spiritus enim Magistri non aliud sunt, quàm Dei Cooperatores & Adiutores, ad deducen-

cendas animas : ipse autem Deus præcipuus Dux
est & Magister , quem reliqui sequi debent , vt di-
ctum est. Quando autem ipse Deus speciali gratia
non præuenit , sequendæ sunt generales regulæ in
eius Ecclesia nobis relictæ. Sed tam hæ , quàm illæ
speciales , & omnes diligentia ac industria diri-
gendæ sunt ad excellentissimum omnis bonæ O-
rationis finem & fructum , amplectentis quæcum-
que suprà retulimus.

CAPVT XLIII.

*HOMINES SOCIETATIS EVM
orandi modum sequi debent , qui in nostris
traditur exercitiis ; eorum excellentia ex-
plicatur ; additur q̃ quædam valde
spiritualis utilis q̃ de eisdem
exhortatio.*



ATIONES in proximo capite
positæ sufficienter declarant
excellentiā , & securitatem
eiusmodi Orationis , quem Pa-
ter noster S. Ignatius in suo ex-
ercitiorum libro tradit : est quæ
in Societate in communi vsu
in quo libro continentur res omnes necessariae
ad perfectam mentalem Orationem , quam pos-
sunt homines quærere , cooperantes sua diligen-
tia & industria Dei motioni , eiusque gratiæ
quæ semper nos præuenit excitatque , vt illi
cooperemur. Ponuntur enim in eo præparationes
ad Ora-